

In quo & laboro &c. Indicat Apostolus operationem Spiritus S.
& ministri vocantis esse unam eandemque.

ANTITHESIS.

Calvinianorum præprimis est, qui gratiam vocationis particularem
faciunt.

ARTICULUS XIII.

DE
LEGE.

APHORISMUS I.

Lex est doctrina divinitus revelata, quam DEUS jure crea-^{Definitio}
tionis, toti generi humano, speciatim populo Israëli-^{Legis in}
co, servandam tradidit, ut esset adæquata omnium ope-^{genere.}
rum bonorum norma, obligans eos, quibus lata est ad
perfectam sui observantiam, & promittens obedienti-
bus omnis generis bona, prævaricatoribus autem in-
terminans iram DEi cum pœnis temporalibus &
æternis.

EXPLICATIO.

I. Lex.

Accipitur alias 1. *generalissimè*, pro vi & impetu rei cujusvis. Ita lex
peccati dicitur, Rom. VII, 23. Lex Spiritus, Rom. VIII, 2. Lex
mortis, ibid. Lex fidei, Rom. III, 27. Non ita hoc loco accipimus.

2. *Generalius* pro omni verbò DEi. Ita in Scripturâ dicuntur de lege, quæ
propria sunt Evangelio, Psalm. I, 2. Psalm. XIX, 8. 9. Nec hæc est
hujus loci.

3. *Generaliter* pro omni doctrinâ Veteris Testamenti, sicuti Joh. XV, 25.
accipitur, 1. Corinth. XIV, 21. & alibi. Nec hæc significatio hujus
loci est.

4. *Specialissimè*, ut legem moralem seu Decalogum tantum notet. Ita
accipitur Galat. III, 10. Nec hæc hujus loci est.

5. *Specia-*